tinô forsàn tempore carmen hoc conscriptum. Vel secundum parentem ejus: vespertina oblatio tantò gratior est, si matutina jam ordine ac decenter antecessit. At propiùs ad rem *Aben Esra*: quia jam meminit *suffitus*, adolendi manè, ideò nunc etiam subjicit oblationem vespertinam, ut mutuus inter utrumque sit respectus. Huc comparatio cum vitulis labiorum *Hos.* XIV, 3. *Ebr.* XIII, 15. *Genebrardus* de eucharistia vesperi institutâ.) De propriô vocabuli *mincha* significatu vide Dorsch. *mysariam missæ p. 135. seq.*

EXPLICATIO VERSUS III.

שיתה *pone custodiam ori meo:*) ita *Vulgatus*, *Pagninus*, *Coccejus*, *Cajetanus*, *Piscator*. adhibe frenum ori meo, ita *Campensis*; h. e. cùm adeò lubrica atque in adversis insigniter impatiens sit nostra lingva, ita ut facilè contra Deum homines-que præcipitet verba indecora, iccircô tu Domine spiritu tuô mea compesce labia, meosque guberna sermones, ut ne unquam excidat mihi verbum, quod postmodum multô redemtum vellem pretiô, ne obtrectem, convitier, imprecer, &c: Imò si strictè ratio habeatur antecedentium, speciatim psaltes se gubernari rogat in officiô sacrarum precum, ne temerè loquatur quicquam coram Domino, sed summà potiùs cordis cum devotione atque humilitate, &c: quorsum spectat illud Salomonis *Coh. V, 1. ne præcipites ore tuô, nec festines proferre sermonem coram Dominô &c.* Quanquam, si conferamus *Psalm.* XXXIX, 1. *seqq.* non malè generatim hæc precatio capiatur pro adimpletione ejus, quod Psaltes sibi proposuerat. Quoad phrasin, ubi verbum hoc subsequitur tum accusativus, tum dativus conferri potest *Psalm.* IX, 21: שיתה יהוה מורה להם *pone Domine doctorem illis*: eadem plane vocum series & h. l. Belgæ: HErr setzet eine Wacht voor mynen Mond. Lutherus olim: setze meinem Munde eine Hu'ot. postea: behüte meinen Mund. Moguntina: setze eine Huet an meinen Mund:

שמרה *custodiam:*) nomen hoc, formæ, חָכְמָה *sapientia* vel עָצְמָה *robur*, non extat uspiam alibi in sacris, haut dubiè verò designat ejusmodi rem cohibentem, sive *custodiam*, qua illa, quæ exitura aliàs erant, libereque divagatura, reprimuntur, atque in suo velut stabulo aut carcere occultantur. Id quod & ipsum spiritu suo in nobis expedit Deus quodammodo insensibiliter, ita ut quandoque animus fuerit proferendi hoc vel illud, quod tamen, præter intentionem nostram, intercurrentibus fortè aliis, non rarò indictum manet, & quidem magnô sæpe cum nostrô commodô, ceu eventus postea abunde docet. Ad sermonem precum restringit hoc Kimchi, ne ille indecorus sit, sed cordi potius benè præparato congruat. quam in rem nonnulla è Seneca & Clemente Alexand. affert *Coppen. h. l.* Aben Esra vult esse verbum, ita ut antecedens שיתה subintelligatur, *capistrum*, vel simile quid. Ejusdem meminit sententiæ etiam *Michlal Jophi*, ut sensus sit: *pone* (rem firmam) ad os meum, *& custodi illud*; sed uti patet, sensui decedit nihil.

נצרה *custodi:*) ita *Pagninus*. omnium, ut videtur, optimè. quanquam enim nonnulli, (ut Piscator, *observationem* reddens,) nominaliter accipiant, facilius tamen est, statuere imperativum Kal cum (ב) *paragogico & dagesch euphon. in media radic.* cujusmodi exemplum etiam *Prov* IV, 13. נְצֹרָהּ custodi ipsam, vide ibi *Mercerum*. Sic & *Kimchi h. l.* de dagesch euphon. item *Aben Esra* de imperativô, utut dissentiant Lud. de Dieu & Coccejus. Quicquid tamen sit, etiamsi nominaliter efferas, repetito verbô; (*pone*) *observationem &c.* sensui decedit nihil. Idem verò, quod proximè petebatur per *Positionem custodiæ*, repetitur & h. l. per *Observationem*, videlicet gratiosum Dei exoptatur præsidium lingvæque gubernatio, ne, per præcipitantiam, aliudve vitium, lingvâ unquam abutatur. Singularis suo more hic est Lud. de Dieu *in animad.* ita vertens: *custodiatur* (ut צרה sit tertia fœminina præteriti niphal,) *super paupere unumquodque labiorum meorum*, hoc est, ne piorum afflictorum causam obtrectans ad impios deficiam. Verùm quomodò cum *imperativo* שיתה congruat hoc *præteritum*; item quæ *Pauperis* hoc loco ratio, alii discutiant.

על דל *juxta ostium labiorum meorum:*) ita vox hæc דל exponitur à *Pagnino*, *Campensi*, *Piscatore*, *Kimchio &c.* videlicet ut diminutum hoc-ce sit per *apharesin* ex integrô דֶּלֶת *ostium*, quomodo בת ponitur pro בַּת *filia &c.* vel juxta Aben Esram (ת) ex דלת omissum est, tanquam formativum alias fœminini. *Ostium* verò, notante *Kimchio*, vocantur *Labia*, eò quod instar ostii & aperiuntur, & occluduntur. unde etiam is, qui rectè his uti vult, non nisi exigente necessitate eadem claudet & aperiet. *Joseph. Kimchi* exponit נשיאות *elevationem labiorum*, i. e. verba, quæ ego effero vel attollo in labia; juxta illud *Jes.* XXXVIII, 14. דָּלוּ *elevati sunt* oculi mei ad Dominum. ita דלה ex se format דָּלִי *situlam*, haurientem vel sustollentem aquas. Nusquam verô hoc in significatu præterea in sacris legitur. Buxtorf. *in concord.* præterquam quod in דֶּלֶת & דָּלַל *posuit*, recensuit etiam in voce דָּלָה *extraxit*, ita ut דַּל sit *Elatum*. Refer huc illud *Mich.* VII, 5. à cubante in sinu tuo שְׁמוֹר פְּתָחֵי פִיהָ: item *Prov.* XVI, 1. responsio lingvæ est à Deo. Plura de lingvæ custodiâ, cœlitus impetranda, suggeret *Drexel. t. 1. de lingva c. 23. §. 5. f. m. 652.* LXX: (pone) θύραν περιοχῆς περὶ τὰ χείλη μου. ubi quid porta munitionis, notavit *Capellus* crit. f. 288. Confer etiam *Psalm.* XXXIX, 2.

EXPLICATIO VERSUS IV.

תט *ne inflectas:*) h. e. inflecti vel inclinari permittas. Vide dicta *Psal.* CXIX, 10. ne תַּשְׁגֵּנִי *vers.* 133. ne תַּשְׁלֵט *dominari facias* in me iniquitatem. Videlicet verbum actionem & influxum denotans, de concessione (non quidem nudâ, sed judiciali,) exponendum venit, quando scilicet Deus gratiam suam subtrahit, mundique ac dæmonum tentationibus nos nobis relictos exponit, &c. vide sis Damascen. *l. 4. de O. F. c. 20.* τὴν προσχώρησιν θεὸν ὡς ἐνέργειαν καὶ ποίησιν αὐτὸν λέγειν, συνήθες τῇ θείᾳ γραφῇ. Hinc *Campensis*: ne sinas animum meum propensum fieri &c. Ita & *Junius & Piscator*: ne sinas inclinari &c. videlicet *Piscator* addit: per Satanam, permittendo scilicet illi, ut inclinet, ceu 2. *Sam.* XXIV, 1. collato cum 1. *Par.* XXI, 1. *Belgæ* addunt: aut per propriam carnem, *Jac.* I, 13. 1. *Cor.* VII, 5. *Kimchi* ita: nisi Deus adjuvet in dirigendo corde, similis fit cor inclinanti. h. e. æstimatur à nobis, efficaciter id effeciisse, quod alias prohibere potuisset.